

aridò victu, quò solidæ cognitionis fames expleri minimè potest, se pascere debeat. Quin etiam eò usque ex iis processere nonnulli, ut, illam omnino nullam esse, rotundò ore asserere non erubuerint. Sed quàm erronea, & quàm longè à verò abeat, ac rejicienda sit hæc opinio ostendit omnis nobilissimarum Mathematicarum disciplinarum Chorus, quæ sanè, ut earum Cultoribus notissimum, in ipsas rerum, quas tractant, essentias, ex iisque necessariò profluentes proprietates penetrant, easque apodicticè demonstrant. Quod idem tam in Metaphysicis, quàm Physicis præstari posse, scriptis suis cedrò dignissimis probat illustrissimum ac splendidissimum illud hâc nostrâ ætate Philosophico Orbi exortum novum sidus, nobilissimus Renatus Des Cartes, adeò ut, quibus tam claræ apertæque veritates mentis oculos nequeunt illustrare, helleborò opus habeant, quò tenacium præjudiciorum atque anticipationum viscerum humores, quibus ipsorum cerebrum undiquaque perfusum est atque obsessum, expurgentur, ac inde exhalantes præoccupationum crassi vapores, qui nebulas illorum intellectui offendunt, dispellantur, dissipenturque. Ostendit enim hic vir incomparabilis suò exemplò, quid in rerum investigatione possit Ratio seu mens humana, intelligendi impedimentis atque obstaculis liberata, & propriis viribus facultatibusque instructa, si nihil nisi clarè distincteque perceptum assumat, ac pedetentim à simplicissimis & notioribus ad composita & ignotiora, secundum veram intellectum dirigendi Methodum, procedat atque progrediatur. Et sanè, si lumen aut ratio naturalis sit, quemadmodum illi prædicant, tam exigua, aut nulla, quid quæso nos homines faciet, & ab irrationalibus animalibus discriminabit? Sed idem mihi hîc observâsse videor, quod vulgò in omnibus rebus fieri solet, ac propterea quoque in proverbium abiit, videlicet *Artem non habere inimicum, aut contemptorem, nisi ignorantem*. Quò enim quemquam Theologorum minorem deprehendi Philosophum, minusque naturali ratione utentem; eò etiam majorem reperi Philosophiæ, & rationis naturalis contemptorem. Cùm contrà multi eximii præstantesque Theologi, iidemque Philosophi rationem humanam, ejusque propaginem Philosophiam maximis continuò celebrent laudibus, atque in cælum amplissimis evehant præconiis. Quidquid autem sit & quantopere etiam rationem extenuent, ac parvi pendant quidam Theologi, jam dudum demonstratum est, eam quàm multa clarè & distinctè percipere, & in iis, quæ clarè & distinctè perceperit asserendis, errare non posse, sed veritatem assequi debere: cumque Deus, ipsis fatentibus, omnis veritatis sit fons atque origo, erit etiam omnis veræ Philosophiæ seu Sapientiæ author atque conservator.

5. Et quoniam omnis clara & distincta perceptio, præter Veritatem, conjunctam sibi etiam habet certitudinem; quicquid hæc vera docuerit Philosophia

phia